

# XLVIII M. A. SABELLICI

idus majas anni M.CCCC.LXXXX. ea de re magnis contentionibus in Senatu actum est (*a*), ac ne tum quidem est certi quidpiam statutum. Claudant hunc de bibliotheca extra propositi nostri fines excursum duo scitu non indigna. Primo est mihi compertum, III. id. junias anni M.CCCC.LXXXIXII. censuisse Senatum (*b*), ut Bessarionis volumina concederentur P. Ioachimo Turriano, Veneto, Ordinis Praedicatorum Generali Magistro, qui recipiebat suis se impensis facturum, ut in ss. Joannis & Pauli coenobio locum aptum atque ex dignitate haberent, illorumque numerum aliis voluminibus aucturum a se congestis. Adiectae sunt conditiones quaedam in decreto eodem expositae: id vero decretum justis de caussis antiquatum est. Deinde non ignorandum, III. non. majas anni M.D.XV. datum esse Procuratoribus locum satis amplum, ad Marci forum, ex aedium ducalium regione, ubi deinceps asservarentur ea volumina; ac tum honesto stipendio creari coeptum esse ejusdem bibliothecae Custodem. Anno denique M.D.XXXVI. Jacobo Sansovino architecto exhibito, absolutum est illud opus, Antonio Capello & Victore Grimano tum Procuratoribus.

At Sabellicum fuisse hujus bibliothecae Custodem, expresse narrat Gesnerus (*c*), qui a Cardinali Bessarione fundatam ait *Venetis insignem Bibliothecam, multis libris tam graecis quam latinis ornatissimam, cui praefetus est non parvo stipendio Marcus Antonius Sabellicus vir doctissimus*. Quae Gesneri verba dum perperam accipiunt Freherus (*d*), & Bayle (*e*), eo lapsi sunt, ut Sabellicum affirmarent a Bessarione Cardinali Nicaeno suae bibliothecae praefectum esse; nisi verbis iis designare voluerint, illum fuisse librorum Custodem, quos Bessarion Senatui donaverat.

(d) *Theatr. vir. illustr. p. 1434.*  
 (e) *Diction. crit. T. III. col. 2632.*

1487

Sed ut ad institutam narrationem revertar, in publicum Sabellicus edidit suas in *Plinium annotationes*, Dominico Grimano, philosopho & Equiti praestantissimo, ac deinde Aquilejensi Patriarchae, sanctaeque romanae ecclesiae Cardinali in primis eximio, nuncupatas. Iis adjectit *annotationes* alias in quaedam Livii, Valerii Maximi, Lucani aliorumque veterum scriptorum loca: nec multo post *Observationes ex varia auctorum lectione collectas*, Francisco Fortunio inscrispit, homini Delmatae pererudit. Universa is primo Venetiis edidit in 4. anno M.CCCC.LXXXVII. Inseruit eadem Ascensius (*f*) *Annotationibus doctorum virorum*, quas e suis praelitis emisit Parisiis anno M.D.XI. in fol. & Janus Gruterus primo *Thesauri critici* tomo (*g*).

(f) *p. XLI. & XLII.*  
 (g) *p. 124 & seqq. Franc. cof. 160z. in 8.*

1488

(h) *Sabell. Epist. lib. I.*

Hermolaus Barbarus, omnium optime de Plinio meritus, visus est de *Plinianis hisce annotationibus* non multum bene sentire; quod ubi Sabellicus cognovit, ita ad eundem Barbarum, qui tum Reipublicae suae nomine apud Mediolanensem Ducem orator erat, scripsit (*b*): *Audio te nostras in Plinium observationes lectitasse, eisque omnino aliquid quod tua ista Minerva non probet: nec quid sit in illis, quod praeter caetera offenderit, satis compertum habeo: tantum affirmare possum, si tibi displaceo, cui semper placere volui, jam nos nihil esse: omnia nostra vana esse, & indigna quae in apertum referantur, etc.* Rescripsit Barbarus literis quae exstant eodem I. libro, sed quo tempore datae illae sint, ibi non apparet; apparet vero in epistolarum ejusdem Barbari codice manuscripto, qui est apud numquam satis cum laude memoratum Baptistam Nanium, Equitem, pag. 44. *Mediolani nonis novemb. 1488. Purgat se ille*

(a) *Ex eod. Regesto p. 69.*  
 (b) *Ibid. p. 89. 2.*